

Cernit: ventorum surgentia flamina pontum
 Horrificant: olli corda pavor gelidus
 Incessit: tremuere artus, exanguia pallor
 Occupat ora; undis naufragus in mediis
 Turpes ne pascant fluitanti corpore phocas.
 Idem, si clari continuo Boreæ
 Avida vis nubem solvit, fluctumque tumentem
 Stravit, jucundæ gaudia lætitiæ
 Concipit; abscedunt curæ, pallorque, pavorque:
 Merse natant placido turpia monstra mari.

E L E G I A X.

AD JOSEPHUM CRIVELLIUM

DE MARIA THERESIA HUNGARÆ REGINA &c.

SI quidquam infectum volui, indictumque fuisse,
 Id volo de magnæ laudibus Austriados,
 Quod tibi sum nuper, dum pergis, amice, negantem
 Hortari, atque preces addere, pollicitus
 Ah temere, ah frustra: non quod sumpsisse laborem
 Hunc nolim (quid mi dulcius esse queat,
 Quid magis optarim vates, quam tollere ad astra
 Hanc, vatium cætus quæ fovet ingenuos,
 Hanc, omnis docti quam cultrix turba Lycei
 Doctrinæ spem unam, præsidiumque vocant?)
 Sed quod (vera loqui scis hæc me, Phœbe; scit alma
 Calliope) Solem qualis ad auricomum
 Lumina qui attollit cupide spectator, & hæret
 Admirans, densis obruitur radiis,
 Caligatque oculos, nec lucem dispicit almam,
 Cuncta sed obscura condita nocte dolet: